



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

2 V. Annuntiatio fieri debuerit per Angelum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

Leo Pap.

beth, Beata, qua credidisti. Itaque tunc primum credit illud mysterium, ut ad se pertinet, & ut ex ipsa perficiendum. Oportuit enim, ut hoc modo Verbum prius mente conciperet, quam carne, cuius propriam, & maxime literalem rationem attigit Leo Papa in praedicto sermone, subdens. *Et ne superni ignara consilij ad inusitatos pauperet effectus* (ita enim legendum est iuxta emendatioris codices, quamvis alij habeant, *assatus*) *quod in ea operandum erat, colloquio discit Angelico*, etenim, si B. Virgo conceptionem filij prius in se fuisset corporaliter experta, quam quid illud esset, unde, à quo, vel cuius rei gratia fieret, intelligeret, merito conturbari posset. & pauperet.

Secunda ratio D. Tho. ex parte nostra assumpta est, factam scilicet esse Virgini hanc reuelationem, ut posset esse nobis testis, & magistra tanti mysterij. Cui addi potest, per hanc reuelationem factam esse, ut praecipuum testimonium virginis eius, & modi admirabilis, quo filium suum concepit, haberemus.

Leo Papa.

Tertia ratio sumpta est ex parte ipsius Virginis, & accommodari etiam potest, ex parte ipsius mysterij. Primum enim decuit tantum beneficium summa reuerentia, & religione suscipi, & ideo oportuit prius, tam mire fuisse creditum, quam prouisum, vel Leo Papa inquit sermo. 6. de Nativ. Deinde, ipsi Virgini utilissimum fuit ad talem dignitatem proprijs actibus preparari, eamque quoad fieri poterat, promereri. Quod in hac angelica annuntiatione praestitit exercendo fidem eximiam, obedientiam, humilitatem, magnanimitatem, singularem prudentiam, suae virginis sollicitudinem, & ac erga Deum summam quandam pietatem, & amorem. Hi enim & similes actus in illo virgineo colloquio mirabiliter elucet.

Quarta ratio D. Tho. in suaui ordine diuinæ providentiae fundatur. Sicut enim Deus per gratiam suam tametsi efficacissimam, nullam personam ratione utentem ad amicitiam suam sine consensu illius pertrahit: ita cum per hoc mysterium B. Virgo ad singularem cum Deo coniunctionem ineundam leuaretur (futura enim erat, veluti Spiritus Sancti sponsa) ad suam diuinæ providentiae dispositionem pertinuit, voluntarium eius expectare consensum. Imò addit D. Thom. B. Virginem in eo facto totius humanæ naturæ gessisse personam, & in admirabile matrimonium, quod inter Deum, & homines perficiendum erat, consensisse. Unde de hoc mysterio non incongrue intelligitur illud Cantorum 3. *Egredimini, & videte filia Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die laetitiae cordis eius.* Et Petrus Chrysost. serm. 140. Sic inquit, *Ad Virginem Deus aligerum portitorem misit. Nam dat arham, dotem suscipit, qui ferri gratiam, fidem refert, & tradit munere virtutu, qui max virginei resoluunt sponsonem.*

Cant. 3.

Pet. Chrysol.

Prophetia
praedestina-
tionis quo-
modo sine
nostro im-
pleri arbi-
trio possit.

In solutione primi argumenti notanda est illa propositio. *Prophetia praedestinationis sine nostro impleretur arbitrio.* Quae supponit celebrem illam diuisionem prophetiae in prophetiam praescientiae, praedestinationis, & comminationis, quam tradit idem D. Tho. 2. 2. q. 174. art. 1. & quaest. 12. de veritate, art. 10. Quae solet ita explicari, ut prophetia praescientiae, per nostrum arbitrium, praedestinationis autem sine illo compleatur. Hoc verò limitat, & explicat D. Tho. in hac solutione, dicens, prophetiam praedestinationis impleri sine nostro arbitrio causante, non tamen sine illo consentiente. Quae distinctio data est à D. Thom. ut breuiter argumentum expediret. Secundum verò est, prophetiam praedestinationis generaliter dici posse omnem illam, quae est de effectu à Deo praedefinito, quae certitudinem accipit ex praedestinatione diuina, quae interdum verificari potest circa effectum, qui non pendet ex libero arbitrio, nec consentiente, nec operante. Ut, v. g. si

A Deus praedestinasset infantem iustificare absque illius, vel alterius operatione. Interdum verò cadere potest in effectum exequendum per liberum arbitrium consentiens, non verò operans, seu causans, quale est praesens mysterium: nonnunquam verò esse potest de effectu exequendo per liberum arbitrium consentiens, & operans, ut sunt actus liberi arbitrij praedefiniti à Deo, vel effectus supernaturales, quos causa libera, ut instrumentum, vel minister Dei operatur, qui etiam possunt esse praedefiniti. Cum ergo D. Thomas dicit, prophetiam praedestinationis compleri sine nostro arbitrio causante, non verò sine illo consentiente, permissiue utrunque intelligendum est. Hoc enim ad argumentum soluendum sufficit, nisi velimus dicere eum eodem D. Thom. dicto loco de veritate ad 6. omnem prophetiam alicuius effectus pendente à libero arbitrio, ut sic esse prophetiam praescientiae: ut verò sit à Deo, esse praedestinationis: aut effectus supernaturales, quia non pendet ex naturali virtute liberi arbitrij, nunquam dici proprie esse ab illo operante, sed consentiente moti Dei. Prior verò doctrina solidior videtur, magisque satisfacere, & clarior est, quam ea, quam Caietanus hic notat, quae non mihi videtur admodum necessaria.

Solutio ad secundum, & quae Caietan. ibi aduertit supra, tractata sunt.

In solutione ad 3. notetur illa propositio. *Qui credit, licet non sciat se esse in gratia, scit tamen esse veram fidem, quam accepit:* ubi si verbum scire proprie cognitionem euidentem significet, ad rei credibilitatem, non ad veritatem referendum est, si tamen solum significet cognitionem certam, (ut D. Thom. reuera intendit) ponderanda sunt verba eius. Solum enim dicit eum, qui credit, scire veram esse fidem, quam accepit, hoc enim necessarium est credere, quia alias non crederetur obiectum esse, infallibiliter verum: non tamen dixit D. Thom. eum, qui credit, scire se habere supernaturalem fidem. Quia cum hoc non solum pendeat ex veritate obiecti, sed etiam ex modo, quo homo assentitur, non potest sub certitudinem fidei cadere. Unde cum D. Thom. ait, *nec tamen propter hoc aliquis pro certo scit, se gratiam habere*, non videtur intelligere de sola gratia iustificante, sed etiam de ipsa gratia, quae datur ad supernaturaliter credendum, per habitum vel actum infusum, hoc enim potius ad argumentum pertinebat, quam illud aliud.

ARTICVLVS II.

Virum annuntiatio Beatae Virginis fieri debet per Angelum.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod B. Virgini non debuerit annuntiatio fieri per Angelum. Supremis enim Angelis sit reuelatio immediate à Deo: ut Dionysius dicit 7. cap. Celest. hierar. Sed mater Dei est super omnes Angelos exaltata. Ergo videtur quod immediate à Deo debuerit sibi annuntiari incarnationis mysterium, & non per Angelum.

2. Præterea, si in hoc oportebat seruari communem ordinem, secundum quem diuina hominibus per Angelos reuelantur, similiter diuina ad mulierem per virum deferuntur, unde & Apostolus dicit, 1. ad Corinth. 14. Mulieres in Ecclesiis taceant: si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Ergo videtur, quod Beata Virgini debuerit annuntiari mysterium incarnationis per aliquem virum: praesertim quia Ioseph vir eius super hoc fuit ab Angelo instructus: ut legitur Matth. 1.

3. Præterea, Nullus potest congrue annuntiare quod ignorat. Sed etiam supremi Angeli non plene cognouerunt incarnationis mysterium, unde dicit Dionysius 7. Celest. hier. ex eorum persona esse intelligendam questionem, quae ponitur Isai. cap. 63.

Quia

Quis est iste qui venit de Edom? Ergo videtur, quod per nullum Angelum potuit conuenienter annuntiatio incarnationis fieri.

4. Præterea, Maiora sunt per maiores nuntios annuntianda. Sed mysterium incarnationis est maximum inter omnia, quæ per Angelos sunt hominibus annuntiata. Ergo videtur, quod si per aliquem Angelum debuit annuntiari, quod ille debuerit esse de supremo ordine. Sed Gabriel non est de supremo ordine, cum sit de ordine Archangelorum, qui est penultimus: unde Ecclesia cantat, Gabriel Angelum scimus diuinitus te esse assatum. Non ergo huiusmodi annuntiatio per Gabrielem Archangelum conuenienter facta est.

Sed contra est, quod dicitur Luc. 1. Missus est Gabriel Angelus a Deo, &c.

Respondendo dicendum, quod conueniens fuit matri Dei annuntiari per Angelum diuine incarnationis mysterium, propter tria. Primum quidem, ut in hoc etiam seruaretur ordinatio, secundum quam mediis Angelus diuina ad homines perueniunt. Vnde Dion. di. it. cap. 4. Cælest. hierat. quod diuinum Iesu beniginitatis mysterium Angelus primo edocuit: postea per ipsos ad nos cognitionis gratia transiit. Sic ergo diuinissimus Gabriel Zachariam quidem docuit, Prophetam Ioannem ex ipso nasciturum: Mariam autem quomodo in ipsa fieret thearchicum ineffabile Dei formationis mysterium. Secundo, hoc fuit conueniens reparationi humane, quæ futura erat per Christum. Vnde Beda dicit in homil. Aptum humane reparationis principium, ut Angelus a Deo mitteretur ad Virginem partu conservandam diuino: quia prima perditionis humane fuit causa, cum serpens a diabolo mitti batur ad mulierem spiritu superbia decipiendam. Tercio, quia hoc congruebat vi ginitati matris Dei. Vnde Hieron. dicit in serm. Assumptionis. Bene Angelus ad Virginem mittitur: quia semper est Angelus cognata virginitas. Profecto in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed celestis.

Ad primum ergo dicendum, quod mater Dei superior erat Angelis, quantum ad dignitatem, ad quam diuinitus eligebatur: sed quantum ad statum præsentis vite, inferior erat Angelis. Quia & ipse Christus ratione passibilis vite, modico ab Angelis minoratus est: ut dicitur Hebr. 2. Sed tamen quia Christus simul fuit viator & comprehensor, quantum ad cognitionem diuinorum non indigebat ab Angelis instrui. Sed mater Dei nondum erat in statu comprehensorum, & ideo de diuino conceptu per Angelos instruenda erat.

Ad secundum dicendum, quod (sicut Aug. dicit in sermone de assumptione) B. Virgo Maria verè estimatione à quibusdam generalibus excipitur: quia nec conceptus multiplicauit, nec sub viri, id est mariti, potestate, fuit, quæ integritatis visceribus de Spiritu Sancto Christum suscepit, & ideo non debuit mediante viro instrui de mysterio incarnationis, sed mediante Angelo. Propter quod etiam ipsa est prius instructa quam Ioseph: nam ipsa instructa est ante conceptum, Ioseph autem potest eius conceptum.

Ad tertium dicendum, quod sicut patet ex autoritate Dionysii inducta. Angeli incarnationis mysterium cognouerant, sed tamen interrogabant, perfectius scire cupientes à Christo huius mysterij rationes, quæ sunt incomprehensibiles omni creato intellectui. Vnde Maximus dicit. Quod Angeli nouerint susurram incarnationem, ambigere non oportet. Latuit autem eos inuestigabilis Domini conceptio atque modus, qualiter totus in genitore, totus manebat in omnibus, nec non & in virgine cellula.

Ad quartum dicendum, quod quidam dicunt Gabrielem fuisse de supremo ordine Angelorum: propter quod Gregorius dicit, summum Angelum venie dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat. Sed ex hoc non habetur, quod fuerit summus inter omnes ordines, sed respectu Angelorum: fuit enim de ordine Archangelorum. Vnde & Ecclesia eum

Archangelum nominat, & Gregorius ipse dicit in homilia de centum oculis, quod Archangeli dicuntur, qui summa annuntiant. Satis est ergo credibile, quod sit summus in ordine Archangelorum. Et sicut Gregorius dicit, hoc nomen officio suo congruit, Gabriel enim Dei fortitudo nominatur. Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum dominus: & potens in pralio, ad debellandas potestates aereas veniebat.

Hom. 34. in
Euang. ante
med. aut.

COMMENTARIUS.

Tribus modis fieri poterat hæc reuelatio, vel proximè ab ipso Deo, vel per Angelum, vel per hominem, inferior enim creatura, non erat apta ad tantum ministerium, neque etiam expediebat fieri per hominem, cum Beata Virgo, tam perfectione naturæ, quam gratiæ, cæteris esset superior, & ideo decuit fieri per Angelum, ut suauis diuinæ prouidentie ordo seruaretur, ut D. Thomas in prima ratione tetigit. Neque oportuit excipi Virginem ab hoc ordine generalis prouidentie, quia licet dignitate esset superior, tamen conditione naturæ, & statu viatricis erat inferior, ut in solutione ad primum dicitur. Ad quod etiam confirmandum optime est secunda coniectura D. Thom. quam sumpsit ex Beda homil. de incarnatione, quæ est vltima de Beda. Sanctis, tempore hyemali. Et eam attingit Fulgent. Fulgent. serm. de duplici Christi natiuitate, sub hinc. Venit, inquit, ad Euam diabolus, ut vitam malignis auferret, venit ad Mariam Gabriel, ut vitam reddendam hominibus nuntiaret, & sermone de laud. Mariæ, Quoniam diabolus, inquit, per serpente Euæ locutus, per Euæ aures mundo intulit mortem. Deus per Angelum ad Mariam per tulit verbum, & cunctis seculis vitam effudit: & Petrus Chrysolog. serm. 141. sic inquit. Audistis agi, ut homo cursum eiusdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agi cum Maria Angelus de salute, quia cum Euæ angelus egerat de ruina, ut nostra perditionis initio conueniens nostra reparationis principium responderet, & paulò inferius aliam rationem indicat his verbis. Audistis fragilem nostræ carnis naturam ad portandam totam Deitatis gloriam, angelica exhortatione roborari, sicut enim Christus interdum per Angelum, confortari voluit Luc. 22. ita decuit Virginem per Angelum animari.

Differt tamen, quia licet Christus confortatus fuerit, non tamen illuminatus, neque instructus, propter eminentem eius gloriam, & scientiam: Beata autem Virgo, cum esset purè viatrix, potuit etiam instrui.

Tertia coniectura D. Thomæ, & solutio ad primum clara sunt. In solutione verò ad secundum indicat D. Thom. ex singulari priuilegio Virginis factum esse, ut immediate, & non per virum, imò prius, quam vir, de mysterio incarnationis fuerit instructa. Sed fortasse etiam sine speciali priuilegio hoc intelligi potest, quia nulla videtur esse lex vniuersalis, quod omnis reuelatio mysteriorum Dei, ad mulierem per virum descendat. Quod enim Paulus primæ ad Cor. 14. dicit, Mulieres in Ecclesia taceant, si quid vero volunt discere, domi viros suos interrogent, intelligitur, in ijs, quæ ad communem Ecclesiæ doctrinam, & cognitionem pertinent, quæ vir scire potest, & debet: tamen in diuinis reuelationibus, & extraordinariis Dei donis nulla est generalis, vel ordinaria lex, ut mulier non nisi per virum à Deo, vel Angelis illuminetur. Ut in Rebecca videre licet Genes. 25. & ex 27. etiam colligitur, & in Scriptura multa exempla familia facile reperientur.

1. Corin. 14

Genes. 27. &
27.

De solutione ad tertium, quomodo Angeli ante hanc annuntiationem mysterium incarnationis cognouerint, in prima parte, quæstione 57. copiose differtur. De solutione autem ad quartum dicemus disputatione sequenti.